

supprimit: quibus fit, ut minerales vires, in aqua per hyemem copiosiores colligantur, quam in aestate (quia in aestate terræ pori, ejusque ductus aperti sunt) sic sordes faciei melius abstergat & aliquatenus putredini resistat. Num vero sponsorum faciem, hæc aqua in urceo referat aut exprimat? aliorum sit judicium.

§. 17. GEMBDA rivus, prope pagum **Benigen**-**Jena** / in Salam labitur. Vis medica & mineralis, quæ in hoc rivo est, tanta deprehenditur, ut *omnes scabie laborantes*, si in hac aqua nudos se laverint, *virtute sua medica tutissime sanet*. Hujus etiam meminit sæpius laudatus **M. Adrian Beier** in *Geographo Jenensi*, pag. 440. Experimenta vero certissima, *Viri præclari JO. GUILIELM. BAIERUS, SS. Theolog. D. & JO. JACOB. BAIERUS, Phil. & Med. D, Professores Altdorffini, supra laudati*, mihi commemorârunt. Hanc aquam, agri Jenensis incolis, in curanda scabie, commendo, quæ etiam in vere multo efficacior est, quam in autumno, ex rationibus, de Leutæ viribus, dictis, quod quilibet scabiosus,